



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 872. Intra quod tempus post matrimonium ratum conjugum alter ingredi possit religionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

dissolveretur. Quæ in contrarium asseruntur pro sententia secunda vide diluta à Castrop. *l. c. n. 3. juncto n. 4.*

**Quæst. 872. Intra quod tempus post matrimonium ratum conjugum alter ingredi possit religionem.**

1. Resp. Tam sponsa quam sponsus de præsentate post matrimonium legitime contractum ratum solummodo conceditur bimestre ad deliberandum de religionis ingressu, ut constat ex *c. publico. 7. h. 2. circa quam juris dispositionem notanda sequentia.*

Primò. Concedi hoc bimestre (quod duobus mensibus completur, ut Sanch. *l. 2. de mat. d. 24. à n. 3. Ponc. l. 9. c. 9. à n. 4. Barbof. in cit. c. 7. n. 9.*) regulariter loquendo à die matrimonii contracti ad ingressum religionis usque. Dico: regulariter, nam si fortè dubitatum de matrimonii valore, computandum à die declarati validi & designationis illius bimestris aut alterius temporis factæ per judicem, qui fuit casus *cit. c. 7.* ubi mulier de valore matrimonii sui disceptans jam diu ante fuerat in eo.

2. Secundò notandum per ingressum in religionem non intelligi illum, qui fit cum effectu seu per professionem, ita ut statim elapsis duobus mensibus teneatur profiteri, vel matrimonium consummare, sed qui fit per ingressum in novitium vel assumptionem habitus. Uti verius contra Abb. *in cit. c. 7. n. 11. Nav. in man. c. 16. n. 27.* & alios docent Henriq. *l. 12. c. 5. n. 8. Sanch. l. c. à n. 4. Pont. n. 2. Gutt. de matr. c. 54. n. 11. Galp. Hurtad. eod. d. 8. difficul. 8. Castrop. l. c. n. 2. Pirh. h. t. n. 51. Barbof. in cit. c. 7. n. 8.* citatis insuper pluribus aliis. Siquidem ut valide emittatur professio in quacunque religione necessariò præmittendus est integer probationis annus post ingressum in novitium vi decreti *Con. Trid. sess. 25. cap. 15. juncto c. 22.* Cumque decreto irritanti, quale est hoc, apposto alicui dispositioni nequeat renunciari juxta *c. dilecto de præb. S. ibi Gl. v. hujusmodi clausula.* probationi illi quò ad tempus annale renunciari non potest juxta declarationem S. Cong. Concil. apud Fagn. *in cit. c. 7. n. 25.* videturque illud specialiter in hoc casu requiri ad probandos mores talium conjugum utpote qui regulariter de religione nunquam cogitarunt, & sæpe potiùs ex odio & aversione conjugis, quam amore perfectionis religionem amplectuntur, ut Castrop. *cit. n. 2. per c. ex parte h. t. S. c. veniens. Qui clerici vel vovent.* Unde jam conjux relictus in sæculo lapsus istius anni ultra duos illos menses quos habuit ad deliberandum, expectare cogitur, antequam soluto matrimonio ad secunda vota procedere possit. Quin & per annos quatuor, nimirum dum sponsa annos pubertatis attingens, seu duodennis ingressa religionem, utpote quæ ante annum 16. ætatis profiteri nequit. Ut Pont. *cit. c. 9. n. 3. Henriq. cit. c. 5. §. 8. Lit. F. Gutt. n. 12. Sanch. l. c. n. 9.* quos citat & sequitur Barbof. *l. c. n. 8.* item Castrop. Pirh. *l. c. cit.* His non obstante, quòd grave sit alteri conjugi tam diu continere, cum non fiat ei per hoc ab eo injuria, qui utitur jure suo, & quidem ejus alter conjux non fuit ignarus, qui proinde sibi hoc gravamen imputare debet. Ne autem mora illa evadat diuturnior, adeòque cedat in majus gravamen & præjudicium conjugis relictæ, dum sponsa religionem ingressa, intra annum probationis transiret ad aliam religionem, experiendi causâ, in qua

de novò novitatus inchoandus & per annum continuandus, Judex præfigere debet ei terminum peremptorium, nimirum, ut in alterutra religione absoluto per annum novitatu profiteatur, vel ad conjugem revertatur, eique petenti debitum reddat. Sanch. *cit. n. 9. Gutt. n. 13. Castrop. l. c. n. 3. Barbof. l. c. n. 8. Pont. cit. c. 9. n. 10. Pirh. n. 52.*

3. Notandum Tertio: Bimestre illud à jure concessum & regulariter à judice post sublatam per eum controversiam de valore matrimonii præfigendum, ab eodem coarctari vel prorogari posse ex causa valde urgente, ut tradunt cum Gl. *in c. 7. h. 2. v. infra dubium. Abb. ibidem. n. 11. Sanch. l. c. n. 12. Gutt. n. 16. Pont. l. c. à n. 8. Castrop. n. 5. Pirh. l. c.* & alii communiter ex ea ratione, quòd, licet, quando terminus certus præfigitur à lege sine ministerio seu opera Judicis hic non possit eum abbreviare vel extendere, quia non est supra legem; potest tamen id ipsum, ubi à jure committitur terminus ille mediante opera judicis præfigendus ut juxta *l. 2. ff. de sent. S. re judic. S. ibi. Barbof. n. 4. ellolin. de primog. l. 2. c. 14. n. 19. Pont. l. c. jam verò. cit. c. 7.* non tam designatur bimestre, quam mandetur judici, ut is illud designet, ut Sanch. *l. c.*

4. Notandum Quarto: Quòd licet probabile sit, imò communis sententia, ut ait Castrop. *l. c. n. 7.* hoc bimestre competere conjugibus, neutro eorum cogitante de ingressu religionis, vel etiam utroque positive nolente ingredi, ita ut neuter interea reddere petitum à se debitum seu consummare matrimonium teneatur, eò quòd licet ab initio istum animum non habuerint, vel etiam habuerint contrarium, mentem tamen interea in melius mutare possint, ut cum Gl. *in c. conjuges. 27. q. 2. v. primum.* docent: Sylv. *v. debitum. q. 1. caus. 4. Rosell. ibid. n. 2. Armill. n. 5. Pont. l. c. n. 7. Sanch. l. c. n. 25.* contrarium nihilominus, nimirum non competere nisi iis, qui animum ingrediendi religionem habent, vel saltem de ea ingredienda deliberant, probabilius & verius cenent Cönnick. *de mat. d. 26. du. 4. n. 46. Angel. v. debitum. n. 14. Hurtad. d. 8. difficul. 8.* quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 7.* item Laym. *l. 5. tr. 10. c. 11. Pirh. h. t. n. 53.* ex ea ratione, quòd per contractum matrimonii statim uterque conjux tradit alteri potestatem sui corporis, adeoque teneantur invicem sibi reddere debitum, nisi jure pontificio ob bonum religionis, vel mutuo consensu, aliquo tempore hæc obligatio suspendatur; nullis autem conjugibus aliis invenitur suspensa, quam qui de ingredienda religione deliberant, ut patet ex *cit. c. 7.* ubi tantum, & nullibi alibi hoc bimestre concessum. Neque etiam hanc obligationem mutuo consensu suspensam suppono. His non obstante, quòd propositum ingrediendi habere possint, aut voluntatem non ingrediendi in melius mutare possint; cum de hoc in jure nulla fiat mentio.

5. Notandum quinto: Bimestri illo aut etiam alio tempore præfixo elapsò absque consummatione matrimonii, non ita arctari conjuges ad consummandum illud seu reddendum debitum, quin uterque altero invito in continenti adhuc ingredi licetè possit religionem, & post ingressum completo anno probationis in ea valide profiteri; eò quòd, quam diu matrimonium consummatum non est, jura concedant electionem status religiosi. Uti Arg. *cit. c. 7.* (ubi mulieri, postquam jam diu ultra bimestre fuerat in matrimonio citra consummationem illius,

illius, potestas illa ad religionem transeundi conceditur) tradunt cum Innoc. Butrio, Host. & aliis Gutt. *L. c. n. 19.* Sanch. *L. 2. de marrim. d. 24. n. 27.* Hurtad. *L. c. n. 30.* Coninch *n. 49.* Castrop. *L. c. n. 6.* Pirh. *n. 6.* Quod si tamen non in continentem seu statim post elapsam bimestre, vel à iudice designatum tempus ingrediatur; interea temporis tenetur reddere debitum & ad consummandum matrimonium compelli potest, sub pœna etiam excommunicationis ipso facto incurrendæ, ni pareat, quamvis, Si postmodum adhuc non consummato matrimonio ingrediatur, revocari nequeat à conjugē, valeatque professio, & absolvendus sit à peccato, quod commisit negando debitum, & ab excommunicatione, quam ipso facto jam incurrit, ut cum gl. in *cic. 7. V. infra d. orum,* & Sanch. *L. c. n. 20.* Pirh. *L. c.*

6. Notandum Sextò. Si intra bimestre vel aliud tempus à Iudice designatum, vel etiam tempore, quo sponsa versatur in novitatu, fuerit cognita per copulam vi extortam intentione consummandi matrimonium, potest ea adhuc ingredi religionem, aut eam jam ingressa valide profiteri, sponso invito, saltem in eo casu, ubi sponso nitenti vim inferre manifestavit, se velle ingredi religionem, aut de ea ingredienda deliberare. Ita cum communiore & probabiliore, contra Zoes, *b. t. n. 13.* Sylv. *V. Luxuria q. 6.* Gutt. *L. c. n. 16.* Henriq. & alios apud Wiestn. *b. t. n. 6.* sentiant cum Gl. in *c. fin. Dist. 55. v. invidius Abb. in c. 2. b. t. n. 9.* Sanch. *L. 2. de mat. d. 22. n. 6.* Castrop. *tr. 20. d. 3. p. 2. §. 1. n. 3.* Fagn. in *c. 7. b. t. à n. 27.* Pirh. *b. t. n. 56.* Reiffens. *n. 6.* Wiestn. *n. 7.* tum quia sponsa hanc gravem injuriam passâ non debet privari jure suo, quod habet ingrediendi religionem intra bimestre, aut mox ab eo elapso; tum quia sponfus ex malefacto suo reportate commodum non debet dum nimirum eam quomodocunque à se cognitam reddendo professionis incapacem eâ sibi absolute obstrictâ frui possit, uti id ipsum probatur quoque ex eo, quod propter adulterium vel lapsum in hæresim possit viro invito & manente obstricto vinculo matrimonii amplecti religionem, adeòque etiam ob violentiam sui oppressionem perpetuum facere divortium per talem ingressum & subsequutam professionem. Et hæc quantum est de se; per accidens enim prohiberi posse talem feminam ab ingressu religionis, ratione V. g. damni, quod immineret proli ex tali copula genitæ, dum forte sine hac matre sua educari non posset, censent Sanch. *L. c. n. 7.* Castrop. *cit. §. 1. n. 3.* Pirh. *L. c. & c. addit & aliam limitationem.* Fagn. *L. c. n. 33. & 34.* ita, ut ingredi religionem nequeat, si de ea non exceperit vim passâ, sed simpliciter noluerit admittere copulam, vel aliam causam v. g. amissionem Virginitatis, obmoverit, sed tunc sponsum, postquam alia media frustra adhibuit, etiam sine peccato (ut pote utens jure suo) per vim copulam extorquere & legitime consummare matrimonium. Verum id ipsum negabunt cum Sanch. ii, qui tenent sponsam etiam intendentem aut non volentem ingredi religionem non obligari ante elapsam bimestre reddere debitum. De cætero huic potestati in hoc casu adhuc ingrediendi religionem non obstat primò, quod sponfus in hoc casu sine spe matrimonii cum ea aut alia ineundi cogatur perseverare usque ad obitum sponsæ violatæ; id enim adscribat malefacto suo seu injuriæ per se illatæ sponsæ, & i&, quod ipse nullo modo ingredi possit reli-

gionem, sponsa (intellige, dum ea, postquam per vim violata, mutato consilio ingrediendi religionem, manet in sæculo) renuente, quia ex parte ipsius matrimonium liberè consummatum, ac proinde cessit juri, quod habebat, ingrediendi religionem, etiam sponsâ invitâ. ut Castrop. *l. c.* cum Sanch. *cit. d. 22. n. 5. & 8.* Neque secundo, quod sponsa corrupta non possit inter Virgines consecrari, consecratione hac requirente corporis integritatem; cum nihilominus professionem facere potest, quantum est de se, nisi fortè moniales talem etiam injuriosè corruptam recipere in suum confortium nolint. Neque tertio, quod per talem copulam vi extortam matrimonium verè sit consummatum, ut docent Sanch. *l. c. n. 1.* Gutt. *l. c. n. 16.* Castrop. *l. c. n. 7.* testans de communi; eò quod per talem copulam efficiantur una caro juxta *c. debitum. de bigamis.* Sitque accessus non ad alienam, sed ad propriam, nascaturque ex ea affinitas juxta *c. discretionem. De eo, qui cognovit. consang. uxov.* negarique non possit, eam ex parte viri sufficientem ad consummandum matrimonium, adeò etiam ex parte mulieris; cum consummari nequeat ex parte unius, quin consummetur ex parte utriusque. consummato autem matrimonio non conceditur amplius transitus ad religionem alterâ parte invitâ. nam dato, tali copula verè consummari matrimonium, adhuc tali consummatione injuriosè per vim extortâ non impediri ingressum in religionem ex parte injuriam passâ, cum ea sine sua culpa jure suo privari non possit. docent iidem AA. cit. Adde, quod alii negent per talem copulam consummari matrimonium; eò quod matrimonium consummatum significet conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis, quæ voluntaria fuit, adeòque representari nequit per copulam carnalem involuntariam. Quin &, licet ex tali copula oriatur affinitas, negant tamen propterea conjuges effici unam carnem Fagn. *11. c. 7. b. t. n. 39. & sequent.* cum gl. in *c. in eo caus. 32. 9. 4.* Porro quod hic dictum de copula vi extorta, idem dicendum de ea obtenta per metum gravem ingultè incussum ob rationes easdem, & quia non tam ob defectum liberæ & spontaneæ voluntatis, quam ob injuriam sponsæ illatam & ob injustitiam à sponso commissam conceditur ille ingressus, quæ injuria & injustitia etiam adest, dum copula extorta per metum. Ita cum Sanch. *l. c. d. 22. n. 6.* Pirh. *b. t. n. 57.*

*Quæst. 873. Quæ requirantur ad consummationem matrimonii, & an, ut post eam conjuges ingredi possint religionem, requiratur alterius consensus?*

1. **R**esp. ad primum: ad consummationem necessario requiritur & sufficit copula apta generationi, qualis non est, nisi vir intra vas femininum feminaverit, & si id factum absque vasis penetratione, quæ de cætero solâ sine seminatione matrimonium non definit esse ratum tantum. Ita Sylv. *V. matrimonium q. 15. dicto 2.* Sotus in *4. d. 27. q. 1. a 4.* Sanch. *l. 2. de matr. d. 21. n. 2.* Gutt. *cit. c. 54. n. 22. & alii,* quos citat & sequitur Castrop. *cit. §. 1. n. 1.* eaque subsequens matrimonium ratum, cum illud præcedens sit fornicaria & matrimonium necdum contractum consummare nequeat, ut bene Covar. in *4. decret. part. 1. c. 4. §. 1. n. 15.* Menoch. de præsump. *l. 3. præf. 1.*